Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36492
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

finxerit. i. in bethel uitulum aureum fecerit. hoc enim interpretatur domus
dei. et tam profunde in scelere peccauerit. sicque in impietatis barathrum
sit dimersus. ut uincat scelus quod quondam gestum est. in gabaa. quando
uxorem leuitę reuertentis. de bethlehem inlicito necauerit concubitu.
Possumus dicere gabaa. et illud tempus accipere. quando pro deo elegerunt
sibi regem de urbe gabaa. i. saul et multo nunc eos dicit maiora pec
casse eligendo hieroboam et adorando ydola. quam eo tempore quo elegerunt
saul. Huic enim scismati. etiam ydolatria copulata est. Ibi nec dei cultus
permansit in populo. ideo recordabitur iniquitates eorum. que nunc per patientiam
putatur oblitus. et uisitat peccata eorum et uulnera quę longo tempore
conputruerunt. Veteres scrutans hystorias. inuenire non possum. scidisse
ecclesiam. et ecclesia domo domini populos seduxisse. preter eos qui sacerdotes a deo
positi fuerant et prophete. i. speculatores. Isti ergo uertuntur in laqueum
tortuosum. in omnibus locis ponentes scandalum. ut quicumque per uias eorum
ingressus fuerit corruat. et in christo stare non possit. uariisque abducatur
erroribus et semitis tortuosis ad precipitia deferatur. Hii sunt specula
tores ephraim qui insaniam in domo domini confixerunt. hoc est in ecclesia. siue
in scripturis sanctis peruerse eas interpretantes. ut certe in unoquoque credentium
que domus dei rectissime nominatur. propria corrupti sunt et inter
ierunt iuxta dies collis quando iniquitatem in excelsum locuti sunt
et ascenderunt in tecta uana. Recordabitur deus iniquitatis eorum. pro quam
inique gesserunt in proximum educentes eam de ecclesia. et uisitabit pec
cata eorum quibus in suas animas peccauerunt. Hoc est quod in psalmo legi
mus. iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Nisi enim quis dei uiderit
semitam. i. christi nomen audierit non ingreditur per eam. Id circo et heretici
sub nomine christi. iuxta semitam posuerunt laqueos. ut qui in christo cal
care se credit. de quo legimus. quod ipse sit uia. calcet et in eorum laqueis
qui insaniam in domo domini confixerunt. Quasi uuam in deserto inueni
israhel. quasi prima poma ficulnee in cacumine eius uidi patres eorum
ipsi autem intrauerunt ad beelphegor. et abalienati sunt confusione
et facti sunt abhominabiles. sicut ea que dilexerunt. LXX. Sicut
uuam in deserto inueni israhel. et sicut ficum in arbore ficus temporaneam.
uidi patres eorum. Ipsi autem ingressi sunt ad beelphegor et abalienati
sunt in confusionem et facti sunt abhominabiles sicut dilecti. pro quo
in aliis exemplaribus legimus. et facti sunt dilecti quasi abhomina
biles. quod magis congruit ueritati. Cum omnis orbis esset desertus.
et dei noticiam non haberet. inuenit populum israhel quasi uuam in solitudine